MASTER NEGATIVE NO. 92-80597-9

AUTHOR:

FRITZSCHE, F[RANZ] V.

TITLE:

DE CHORO PHAETHONTIS...

PLACE:

[S. L.]

DATE:

[1857]

Master Negative #

92-80597-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fritzsche, F[ranz] V[olkmar], 1806-1887.
...De choro Phaethontis ... Literis Adlerianis, [1857].
8 p. 29 x 23½ cm.

At head of title: Index lectionum in Academia Rostochiensi ...

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCC$\frac{LVI}{LVII}$

A DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE CHORO PHAETHONTIS

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.
1857

Seminarium philologicum divi **Friderici Francisci** I auspiciis Rostochii conditum proximi quoque Principes divus **Paulus Fridericus** et cui nunc paremus, **Fridericus Franciscus** II pari favore constantique ad hunc diem gratia prosecuti sunt. Cujus recens instituti leges auctore inprimis Carolo de Bothio V. Cl. scribere jussus duplex jam ab initio consilium inii, et ut idonei gymnasiorum magistri per me formarentur, quibus Megapolis nostra et adjacentes civitates uti cum fructu possent, et ut aliarum literarum studiosissimi juvenes haberent, ubi mentis acumen antiquitatis studiis subtilius excolerent. Ac de iis quidem, qui non solum multi initio fuerunt, sed etiam studii ardore inter se certarunt, de philologis seminarii sodalibus plura dicere in hoc gymnasiorum nostrorum splendore supervacaneum est. Sed quod ad alios aliis praecipue literis deditos pertinet, ex iis quoque bene multi juvenes nomen huic seminario dederunt, qui ingenio doctrinaque praestare viderentur et in suo quisque genere jam tum excellerent. Quare tantum abfuit, ut studia seminarii per triginta paene annos ullo intermissa tempore elanguescerent, ut etiamnunc novis quasi viribus assumtis floreant vigeantque. Verum commentarios hujus seminarii ex interioribus literis depromtos tunc demum edemus, si quis indicem, qui una edi possit, omnium quotquot adhuc fuerunt seminarii sodalium confecerit. Volo enim, Commilitones, aures vestras hujusmodi juvenum nominibus personare, qui mox viri facti literis decori, civitati ornamento, Principi Ipsi emolumento atque honori fuerunt.


Hujus igitur seminarii senior, juvenis mihi percarus nuper dissertationem scripsit de Euripidis Phaethonte non neglectis, quae Goethius nostras de hac fabula subtilius quam verius disputavit. Quae res in causa fuit, ut Phaethontis fragmentum quoddam, de quo nunc dicturus sum, (Vol. IX p. 261 sqq. edit. Matthiae sive in Hermanni Opusculis T. III p. 8 sqq.) ipse quoque iterum tractarem. Nam codici, quem ipse inspicere non potui, graeco et latino epistolarum Paulinarum olim Claromontano nunc Parisino, de quo Wetstenius in Prolegom. ad N. F. II p. 6 dixit, duo alius codicis folia (162 et 163) insunt atque ea rescripta. Wetstenius autem hoc codice bis excusso l. l. diserte tradit, non primum librarium, qui duo folia 1 Cor. XIV. 13 ad 22 neglexit, sed aliquot saeculis post correctorem et adnotasse λείπι διφύλλην (sic) et insertis hisce duobus foliis graeca Pauli supplevisse. Falso igitur Matthiae l. l. p. 256 statuit, jam a primo librario codicis Paulini haec duo alius codicis folia temere arrepta esse. In his foliis prima scriptura, i. e. pars Phaethontis tragoediae per recentiorem scripturam Paulinae ad Corinthios epistolae valde obscurata est. Sed pristina Phaethontis scriptura quantum potuit eruta totum hoc fragmentum tum Hasii Dresdensis et Parisinus duobus apographis, quae partim inter se differunt, tum J. Bekker descripserunt. Qua triplici collatione et Hermannus et Matthiae usi sunt: hic adeo l. l. p. 260 sqq. arte veterem scripturam imitante integrum edidit prius Hasiorum apographum, quod ab Hasio Parisino cum ipso codice collatum alteri alterius Hasii apographo praestat. Sed Bekkeri schedae ab utroque Hasiorum apographo nonnunquam vehementer dissident. Itaque Matthiae l. l. p. 259 quum prius conjecisset Bekkerum nonnunquam quae legi in codice non potuissent, ipsum supplere conatum esse: postea idem ab Hermanno edoctus Bekkerum, non item Hasios, quo melius haec legere posset, etiam medicamine usum esse animadvertit, codicis scripturam saepe melius a Bekkero quam ab Hasiis retectam esse. Quanquam est etiam, ubi ipsius lectionem codicis Hasii rectius Bekkero adsecuti sint. Omnino nondum vidi plura rescripti quidem codicis apographa, quae non valde inter se discreparent, id quod ipsa rei natura sic compara-


tum est. Nec denique si et Hasii et ipse Bekker magno consensu vocem quandam codici tribuerunt, ideo hanc ipsam vocem in codice totidem literis plane legi necesse est. Velut uno in l., qui infra afferetur, et Bekker et Hasii in ipso codice *ΧΑΡΜΑΤΑ* legi tradiderunt. At quum ab Euripide ibi non *χάρματα* sed *χαρμονὰν* scriptum sit: satis credibile est, ab his triumviris codicis scripturam *ΧΑΡΜΟΝΑΝ* male lectam esse. Nempe partem horum fragmentorum legere facili negotio licet (sicut ea omnia, quae l. l. p. 6 recte legit Wetstenius), partem vix licet, partem omnino non licet. Quod ad conjecturas attinet, codicibus rescriptis ita maxime utendum est, uti F. Ritschlius in Plauto codicem usurpare solet Ambrosianum. Nam et in versibus disponendis et in ipsa lectione constituenda rescripti h. e. antiquissimi codicis tanta est auctoritas, ut nisi justissima de causa nihil mutandum sit: rursus talis libri minime ea fides est, ut manifesta ejus vitia corrigere religio sit. Sed opportune cecidit, ut hic Phaethontis chorus talis sit, quem ipsius metri ope emendare tuto liceat, i. e. antistrophicus. Ita et e paucitate mutationum magna codicis auctoritas et ex emendandi necessitate vitia ejusdem certo perspicientur. Ut haud procul initio sive Hasii sequendi sunt sive Bekkeriana *ὀρθρευομένα γόοις* in ipso codice exstant: manet, transpositione vitium metri ab Hermanno recte sublatum esse. In his igitur fragmentis quum J. Bekkeri diligentiam et judicium doctrina subactum agnosco, tum vero ingenium sagacitatemque G. Hermanni jam olim in Quaestt. Aristoph. p. 141 admiratus sum. Ipse autem chorus glyconeis maxime polyschematistis scriptus est, cujus generis nulli chori nisi et ambitu brevissimi et argumento tenuissimi et numero paucissimi antistropho carent. Atqui hic Phaethontis chorus tum sententiarum gravitate tum ipsa magnitudine adeo excellit, ut eum antistrophici generis fuisse oporteat. Jam omnes Euripidei ex hoc genere chori a stropha et antistropho incipiunt, addita plerumque in fine epodo: saepe tamen (ut hic in Phaethonte) epodo proxime antecedit stropha altera cum altera antistropho. Talem vero hunc Phaethontis chorum fuisse Hermannus l. l. p. 9 ita perspexit, ut utrumque stropharum par cum epodo suo quodque loco sine ullo errore investigaret. Totidem fere, quot in Phaethonte versus habent primum stropharum par in Iphig. Aul. v. 751 sqq., totus chorus in Electra v. 432 sqq., tum alius in eadem Electra v. 699 sqq. et chorus in Oreste v. 807 sqq. Nam in multis aliis hujusmodi choris unaquaeque stropha aliquanto plures versus complectitur. Sed in Phaethonte omnium stropharum fines ab Hermanno recte descriptos esse vel ex ipso codice emergit. Nam ne quis dicat *μέλπει* — v. 23 sqq. exitum antistrophi esse ejusque stropham legi amplius in codice non posse: horum nihil ementiri per ipsum codicem licet. Etenim post v. 18 *τοὺς* — *λόγοι* non ut Hasii unius versus, sed ut Bekker recte testatur quatuor versuum paene evanidorum vacua spatia in codice relicta sunt, tunc autem continuo sequuntur versus 23 — 26 *μέλπει* — *πολύθρηνον*. Qui ipsi quum versibus 31 — 34 *ἤδη* — *ἀχεῖ* plane respondeant, necessario efficitur primos tantum quatuor strophae versus nec plures in codice obliteratos esse ideoque et stropham octo versuum v. 26 in v. *πολύθρηνον* desinere et ejusdem antistrophum verbis *σύριγγας* — *ἀχεῖ* v. 27 — 34 contineri. Non minus recte Hermannus de altero stropharum pari judicavit. Quum enim in oculos incurrat alterius strophae initium v. 35 *ἄκατοι δ'*- antistrophi alterius initio v. 43 *τὰ μὲν οὖν* — ac praeterea finem ejusdem strophae v. 42 *σινδὼν* — *πελάσσῃ* fini ejusdem antistrophi v. 50 *βαρὺν* — *οἴκοις* respondisse: certo sequitur post verba versus 36 *εὐαέσιν ῥοθίοις* quinque versus in codice deesse, quorum primi

prima verba *ἀνὰ δ' ἱστί* fuisse Bekker testatus est. Recte autem Hermannus p. 4 et p. 10 vidit hos quatuor versus olim in imo folio scriptos fuisse, postea autem cum parte folii recisos, quum haec duo Euripidei codicis folia reciso imo margine ad Paulini codicis formam adaptarentur, atque adeo Euripidei codicis integri folia singula versus quadragenos et unum habuisse. Nam quum hujus codicis folia etiamnunc tricenos et septenos versus complectantur, contra Pauli codex Wetstenio p. 4 teste in Quarto minore ita scriptus sit, ut singulae paginae versus non amplius vicenos et unum contineant: necesse est, Euripideum codicem aut in majore Quarto aut in Folio scriptum fuisse adeoque hujus codicis imum marginem recisum esse. Et quoniam non solum hoc loco i. e. folii 162 versi versu 37 post verba *ἀνὰ δ' ἱστί*, sed etiam alterius folii 163 versi versu 38 post literas *εὐχὰς π* codice etiamtum integro Euripidis oratio continuata est: etiam in altero loco imum marginem recisum esse ex eo liquet, quod nunc quidem oratio non magis quam priore l. cohaeret. Sed post literas *εὐχὰς π* paucissima tantum deesse, ut G. Burgesius primum vidit, ex ipsa sententia elucet. Nam in versibus, quos lacuna sequitur, Merops uxorem hymenaeum canere jubet, in proximo autem post lacunam versu *θεᾶς* — *δόμων* idem nuptialem pompam in Junonis templum deduci vult. Itaque Hermannus p. 17 collato priore folii 162 loco, in quo nunc quatuor versus deesse ipsum metrum docet, recte vidit etiam hoc altero l. quatuor versus recisos esse, ita ut etiam folium 163 versum initio versus quadraginta et unum habuerit. Enimvero Matthiae etsi p. 262 de priore l. Hermanno adsentiri videtur, tamen de posteriore l. p. 267 idem eidem viro plane repugnat. 'Post v. 38, inquit, non tantum quatuor versus, quod monet Hermannus, sed ex observatione Hasii, quam supra memoravi, tota altera paginae columna, quam vocant deest,' atque id ipsum quasi certum a F. G. Wagnero Fragm. Eurip. p. 397 repetitum est. At quid sibi velit 'paginae columna' in codice non in binas columnas diviso frustra quaesivi. Quid vero Hasius, cujus sententiam Matthiae haudquaquam intellexit? Verissime apud ipsum Matthiam p. 257 Hasius scripsit folia antiqui codicis inversa esse, ita ut summa pars antiquae scripturae ima facta sit et contra. Idem clarius dixit Bekker apud Hermannum p. 5: 'Pars ea tragoediae, quae prior est, incipit fol. 162 verso et continuatur fol. eodem recto; pars posterior incipit fol. 163 verso et continuatur folio eodem recto.' Itaque quum rectum folium verso eodem folio prius esse deberet, tamen utriusque folii paginae nunc quidem inversae sunt. Nempe Paulinus codex est graeco-latinus; in folio verso graeca Pauli, in recto autem versio latina h. e. Itala leguntur. Jam librarius corrector, homo graece non item latine doctus insertis duobus illis Euripidei codicis foliis graeca Pauli supplevit ille quidem, sed paginas latinae versioni destinatas a comm. 8 ad 18 Wetstenio p. 6 teste vacuas reliquit. Ita corrector librarius duas paginas amborum Euripidei codicis foliorum de industria invertisse videtur, quum praesertim vidisset, his paginis novum textum facilius superinduci posse. Praeterea quum hic corrector paginas latinae versioni destinatas, hoc est recta folia partim vacua reliquerit: mirari desinamus, quid sit, quod et in Hasiorum apographo et apud Bekkerum folium 162 rectum longe integrius atque certius esse videatur, quam idem folium versum. Minus bene habet folium 163 rectum, ut Hasius apud Matthiam p. 258 diserte monuit. Illuc revertor. Docuit igitur Hermannus, altera antistropho versu 50 *βαρὺν* — *οἴκοις* finita continuo epodum v. 51 — 57 *ὁρίζεται* — *ἀοιδά* insequi. Quam epodum plenam esse atque integram proximi versus docent 58 — 64 h. e. anapaesti dimetri, quibus


tragicorum chori saepe finiuntur. In his anapaestis coryphaeus ostendit, hymenaeum, quem chorus jam nunc (cf. v. 44) cantaturus erat, nondum etiam cani posse; quum enim rex ipse adventet, choro esse tacendum. Chorus Phaethontis v. 19 — 57. Hunc primum totius tragoediae chorum (πάροδον) fuisse e superiore l. v. 10 — 14 apparet, in quo Phaethon chorum dicit multo mane jamjam appropinquare. Personae chori sunt Meropis regis famulae. Hic igitur chorus descripta veris matutini amoenitate id se nunc agere dicit, ut hymenaeum canat: nam hoc ipso die Phaethontem, Meropis ut putabant f. nympham nescio quam in matrimonium esse ducturum.

Strophae priores. **Strophae alterae.**





Epodus.



ΣΤΡ. ά.

. . . .
. . . . . . κατὰ γᾶν
. . α . . . . . .
. . . .

μέλπει δὲ δένδρεσι λεπτὰν
ἀηδὼν ἁρμονίαν,
γόοις ὀρθρευομένα,
Ἴτυν, Ἴτυν πολύθρηνον.

ΧΟ. ΑΝΤΙΣΤΡ. ά

σύριγγας δ' οὐριβάται
κινοῦσιν ποίμνας ἐλαταί·
ἔγρονται δ' εἰς βοτάναν
ξανθᾶν πώλων συζυγίαι.

ἤδη δ' ἐς ἔργα κυναγοὶ
στείχουσιν θηροφόνοι,
πηγαῖς τ' ἐπ' ὠκεανοῦ
μελιβόας κύκνος ἀχεῖ.

ΣΤΡ. β'

ἄκατοι δ' ἀνάγονται
ὑπ' εἰρεσίας ἀνέμων τ'
εὐαέσιν ῥοθίοις,
ἀνὰ δ' ἱστί . . . . .

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
σινδὼν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάσσῃ.

ΑΝΤΙΣΤΡ. β'.

τὰ μὲν οὖν ἑτέροισιν
μέριμνα πέλει [γλυκερά·]
κόσμον δὲ δεσποσύνων
ἐμὲ [νῦν] ὑμεναίων

καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως
ὑμνεῖν· δμωσὶν γὰρ ἀνάκτων
εὐάμεροι προσιοῦσαι
μολπαὶ θράσος αἴρουσ' ἐπὶ χαρμονάν·

εἰ δὲ τύχα τι τέκοι,
βαρὺν βαρεῖα φόβον ἔπεμψεν οἴκοις.

ΕΠΩΙΔ.

ὁρίζεται δὲ τόδε φάος γάμων τέλος,
τὸ δή ποτ' εὐχαῖς ἐγὼ
λισσομένα προσέβαν ὑμέναιον ἀεῖσαι
φίλον φίλων δεσποτᾶν.

θεὸς ἔδωκε, χρόνος ἔκρανε
λέχος ἐμοῖσιν ἀρχέταις·
ἴτω τελεία γάμων ἀοιδά.

V. 19 — 22. Ab initio primum diluculum coeli albescentis videtur descriptum fuisse. Primi versus tales fere esse potuerunt, [Ἠὼς μὲν λευκόπεπλος | κίδναται πᾶσαν] κατὰ γᾶν. Cf. Il. θ', 1; Eurip. Iphig. A. v. 156 sq.; Electr. 102; Ionem v. 82 sqq. V. 23. Hasiorum collatio κλεινήν, Bekkeriana vero λεπτάν, quod de arguto vocis modulamine interpretor, quum luscinia non sit λεπτόφωνος, uti recte Homerus Odyss. τ', 521 et Aeschylus Agam. v. 1102. V. 25. Si codex habet Bekkeri ὀρθρευομένα γόοις, recte scripsit Hermannus, ut metrum postulat, γόοις ὀρθρευομένα. Longe aliter Hasii. Antistrophi v. 31 — 36 ἤδη-ῥοθίοις] haec e codice descripta Wetstenius quoque p. 6 edidit, pleraque eodem modo quo Bekker et Hasii. V. 31. codex εἰς, quod etsi ferri potest, tamen ἐς praestat. V. 34. Wetstenius, ΜΕΛΙΚΟΛΑΣ. Stropha altera: v. 35 — 50. In hoc stropharum pari Hermannus, quem caeteri sequuntur, metra non perspexit. Ille

enim versus 43 — 46 pro anapaestorum systemate habitos p. 10 ita scripsit, *τὰ μὲν οὖν ἑτέροισι μέριμνα πέλει. | κῶμον δ' ὑμεναίων δεσποσύνων | ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως | ὑμνεῖν· δμωσὶν γὰρ ἀνάκτων.* At primum in strophico v. 36 prosodia obstat Hermanno temere neglecta. Quum enim α in voce *εὐαὴς* semper producatur, tantum abest, ut anapaesticus esse versus possit, ut necessario sit glyconeus, *εὐαέσιν ῥοθίοις.* Ita vero etiam in antistropho versus 44 — 49 prope omnes sunt glyconici. Anapaesti ipsi hujus antistrophi numero tres minime sunt, ut Hermanno visum est, vulgares dimetri, quorum systema a tali choro abhorret, sed qui soli his glyconcis immisceri solent, cyclii anapaesti. V. 35 sq. Hermannus servavit malam codicis distributionem, in quo duo sunt versus, prior *ἄκοντοι-εἰρεσίας,* alter *ἀνέμων-ῥοθίοις.* Immo tres versus sunt, duo anapaesti cyclii et unus glyconeus. V. 35. codex *ΑΚΟΝΤΟΙ.* Primus Matthiae *ἄκατοι.* V. 37. Evanidas prope literas *ἀνὰ δ' ἰστί* Bekker non item Hasii in codice vidit. Post hunc versum, ut supra dictum est, quatuor versus ex imo margine codicis recisi sunt. Sed antistrophus (v. 45 — 49) docet, qui in codice quatuor versus fuerunt, eos rectius in quinque versus dividendos fuisse. Itaque quinque versuum non quatuor lacunam indicavi. V. 42. codex *ΠΡΟΓΟΝΟΝ.* Recte *πρότονον* Hermannus; sermonem enim adhuc esse de navigatione. Deinceps codex non ut Bekker habet *πελάσει,* sed ut prius Hasii apographum *ΠΕΛΑΣΣΕΙ.* Hinc Hermannus *πελάσσει* edidit. At *πελάσσω* ne graeca quidem forma est. Possis *πελάζει.* At quum in ipso codice *πελάσσει* legatur, Homericam formam *πελάσσῃ* restitui. In proximis superioribus, quae deperdita sunt, *ὅταν* praecesserat. Antistrophi v. 43. codex pro uno versu habet *τὰ μὲν-πέλει.* At duo versus esse stropha v. 35 sq. docet. Eadem stropha indicio est post v. *πέλει* unum deesse anapaestum. Ac videtur post v. *πέλει* in ipso codice vox exstitisse, quae legi amplius nequeat. Nam *πέλει* etsi nunc videri potest in ipso lineae fine exstare, sequitur tamen vacuum spatium, quod sex fere literas capiat. Saepe autem literae in ipso linearum exitu perierunt, quum Hasio apud Matthiam p. 258 teste literae hic illic tantopere evanuerint, ut omne prioris atramenti vestigium absit. Hinc ego collata Medea v. 1036 post v. *μέριμνα πέλει* dubitanter *γλυκερὰ* supplevi. V. 44. E stropha v. 37 sq., in qua haec leguntur, *εὐαέσιν ῥοθίοις, | ἀνὰ δ' ἰστί* patet unum glyconeum et anapaestum cyclium restitui debere. Hoc autem l. Hasiorum apographa codici recte tribuere videntur *κόσμον ὑμεναίων δὲ,* male Bekker, *κοσμεῖν· ὑμεναίῳ δὲ,* contra recte Bekker deinceps *δεσποσύνων.* Nam codex ita habere videtur

ΚΟΣΜΟΝ ΥΜΕΝΑΙΩΝ ΔΕ ΔΕΣΠΟΣΥΝΩΝ
ΕΜΕ ΚΑΙ ΤΟ ΔΙΚΑΙΟΝ ΕΑΓΕΙ ΚΑΙ ΕΡΩΣ.

Quare metri causa et v. *ὑμεναίων* transposui et post v. *ἐμὲ* ipse *νῦν* inserui hoc modo, *κόσμον δὲ δεσποσύνων | ἐμὲ [νῦν] ὑμεναίων | καὶ τὸ δίκ.* Accusativus appositionis *κόσμον* a v. *ὑμνεῖν* pendet (i. e. hymnum canere, erilium nuptiarum ornamentum). Hermanni conjectura *κῶμον* pro *κόσμον* minime opus est. V. 45. *ἄγει* pro *ἐάγει* Hermannus. V. 48 sq. Recte Bekker codici haec tribuere videtur,

ΜΟΛΠΑΙ ΘΡΑΣΟΣ ΑΙΟΥ
C *ΕΠΙ ΧΑΡΜΑΤΑ ΕΙ ΔΕ ΤΥΧΑ ΤΙ ΤΕΚΟΙ.*

Nisi codex *χαρμονάν* potius exhibet. Recte mihi haec sic emendasse videor, *μολπαὶ θράσος αἴρουσ' ἐπὶ χαρμονάν· | εἰ δὲ—.* 'Famulis, inquit, carmina de regum suorum felicitate fiduciam ad gaudium excitant.' Metrum est frequentissimum. Non bene Hermannus conjecerat, *μολπαὶ θράσος αὔξουσ' | ἐπὶ χάρματ'· εἰ δὲ τύχα τι τέκοι |* , quae Matthiaeo p. 262 egregie probata sunt. At etsi sententiam Hermannus percepit, tamen et in posteriore toto metrum falsum est, neque in priore verum *αὔξουσ',* quum codicis lectio *αἴουσ'* manifesto *αἴρουσ',* non *αὔξουσ'* significet. V. 51 — 57. His versibus epodum contineri Hermannus monuit idemque metra epodi, in qua glyconei nulli insunt, recte constituit. V. 51. Bekker, *τὸ φάος.* Sed pro *τὸ* Hasiorum apographa *ΤΟΔ.* Hinc recte Hermannus, *τόδε φάος,* metro etiam postulante. V. 53. In codice duo versus sunt, quorum prior verbo *προσέβαν,* alter v. *ἀεῖσαι* finitur. Sed unum versum eumque dactylicum bene Hermannus restituit. Ibidem recte Bekker, *λισσομένα,* male apographa, *ΛΙΠΣΕΜΝΟΝΑ.* V. 55. Recte apographa, *ΕΔΩΚΕ,* non item Bekker.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam h. VIII quinis dd. tradet; 2) historiam dogmatum universalem h. IX senis dd. enarrabit. Publice dd. Lunae et Jovis h. XII dogmatum historiam inde a sacrorum instauratione ad nostra usque tempora, dd. Martis et Veneris h. XII theologiam pastoralem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, docebit. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim quinis dd. h. IX historiae ecclesiasticae partem primam enarrabit; 2) privatim senis dd. h. X. et die Saturni h. IX theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes dd. Martis et Mercurii h. II moderari perget.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis dd. h. III vaticinia messiana V. T. explicabit; 2) privatim senis dd. h. IV evangelium Joannis interpretabitur; 3) publice exercitationes exegeticas moderari perget horis binis deinceps indicandis.

D. Michaelis Baumgarten, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim capita praecipua legis Mosaicae interpretabitur quinquies h. XII; 2) privatim historiam populi Israelitici sub vetere Testamento narrabit quinquies h. XI; 3) publice elementa linguae sanscritae docebit et tirones in legendo Nalo exercebit horis binis; 4) exercitationes exegeticas moderari perget horis binis.

In ordine juridico.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia juris criminalis communis et megapolitani, duce Heffter, sexies h. X—XI et XI—XII.

D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus publicum germanicum docebit quinquies h. XII—I; 2) jus criminum commune sexies hora XI—XII.

D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O., 1) pandectas, Puchta duce, sexies h. XI—XII; 2) jus hereditarium quinis scholis h. IV profitebitur.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., tradet 1) historiam juris Romani quinis per hebdomadem scholis h. IX—X; 2) insti[illegible] juris Romani quotidie h. X—XI.

D. Paulus Roth, P. P. O., h. t. Decanus, 1) Jus feudale commune et Megapolitanum quinquies h. IX—X; 2) historiam Juris Germanici quinquies h. X—XI per hebdomad. docebit.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judiciarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem camque practicam moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commilitonibus offert.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., docebit horis commodis: 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem in usum medicorum et jurisconsultorum.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum cum demonstrationibus et exercitationibus in cadaveribus conjunctam quater p. h. hor. IV et 2) Clinicum chirurgicum quotidie hor. X et dimidia moderabitur.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., ex itinere redux scholas alio loco indicabit.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., 1) anatomae c. h. partem primam tradet; 2) exercitationes anatomicas assistente Prosectore L. Gronau diriget.

D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artem obstetriciam sexies p. hebdom. horis adhuc definiendis docebit; 2) de morbis mulierum bis p. hebdom. h. VIII—IX disseret; 3) exercitationes practicas in Clinico obstetricio quater p. hebdom. h. VIII—IX aliisque horis moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. E., 1) de morbis systematis uropoetici, de morbis cutis et de syphilide quaternis diebus hora III disseret; 3) scholas medico-clinicas in nosocomio senis diebus hora IX habebit.

D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Theodorus Ackermann 1) privatim materiam medicam quaternis diebus h. IV—V tradet; 2) publice artem formulas medicas concinnandi semel p. h. IV—V docebit.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) ternis diebus h. XI Aeschyli Persas interpretabitur; 2) item ternis diebus h. XI Plauti Trinummum explicabit; 3) quaternis diebus h. III graecarum literarum historiam tradet. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo selecta opera Luciani et Horati Epistolarum Lib. II[tus] tractabuntur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., h. t. Decanus, privatim docebit 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XI; 2) de physiologia plantarum disseret diebus Lunae et Veneris h. X; 3) initia cryptogamologiae exponet diebus Martis et Jovis h. X; 4) publice familias quasdam regni vegetabilis paullo accuratius tractabit die Mercurii h. X. Disputatorium de rebus ad historiam naturalem pertinentibus una cum collegis Karsten et Schulze moderabitur.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) sexies p. h. agriculturam et rem pecuariam docebit h. IX; 2) de praedio rite administrando totaque re rustica bene instituenda exponet quaternis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter per hebdom. Euripidis Iphigeniam Tauricam; 2) ter per hebdom. Aristotelis artem poeticam interpretabitur. Privatissime quater per hebdom. Antiquitatum Graecarum selecta capita pertractabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice trigonometriam bis p. h.; 2) privatim calculum differentialem quater p. h.; 3) mineralogiam quater p. h. horis commodis. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., h. t. Rector, 1) Chemiam organicam docebit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur bis per hebd. horis quaternis; 3) privatissime de chemia ad rem rusticam applicata disseret et exercitationes agronomicas instituet.

D. Erwinus Nasse, P. P. O., privatim docebit: 1) Oeconomiam publicam quinis diebus; 2) De reditibus et exitibus publicis disseret, quinis diebus.

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) publice anthropologiam psychicam praecipiet s. de natura animi humani disseret, quaternis p. h. dd.; 2) publice philosophiam historiae generis humani describet, binis p. h. dd. Privatim idem 3) logicam docebit, quinis p. h. dd.; 4) historiam philosophiae recentioris explicabit inde ab aera christiana usque ad nostra tempora, sive a Paulo apostolo ad Kantium et qui sequuntur, itidem quinis p. h. dd.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) binis diebus h. III—IV Taciti Agricolam interpretabitur; 2) quaternis diebus h. III—IV Horatii satiras explicabit; 3) quaternis diebus h. XI—XII de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. **Eduardus Schmidt**, P. P. E., docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam moralem, bis p. h. h. III; 2) privatim psychologiam, quater p. h. h. IV; 3) privatim philosophiam historiae, inprimis novissimae, quinquies p. h. h. V.

D. **Carolus Weinholtz** privatim docebit: 1) Encyclopaediam philosophiae, ex systemate suo (»das organisch-idealistische System der Philosophie«, Leipzig 1856.); 2) Logicam formalem ex compendii sui secunda parte (Rostock, 1834.), comparatis Aristotelis et Hegelii doctrinis, spectabitque librum suum: »die Wissenschaftswege« Abtheilung 1. und 2. Rostock 1840 und 43.

D. **Julius Robert** 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim mutationes quas lingua gallica inde a saeculo duodecimo subiit exponet; 3) publice historiam literarum Gallicarum inde ab anno hujus saeculi tricesimo usque ad novissima tempora tradet; 4) publice bis p. h. exercitationes in eorum usum moderabitur, qui linguam Gallicam aliquando docturi sunt.

Bibliotheca h. XII—I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur. Inprimis vero commilitonibus eximium virum commendamus, qui nuper ad nos vocatus musicam artem optime docebit.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
Franciscus Schulze, Ph. D.

Praeest ordini Theologorum **Michaelis Baumgarten**, Th. D.
Juris consultorum **Paulus Roth**, J. U. D.
Medicorum **Gustavus Veit**, M. D.
Philosophorum **Johannes Roeper**, Ph. et Med. D.